

num conjugio sortitum potenter obtinuit, hodieque nobiliter regit. Ipse vero Gunnarius, dum adhuc quadragenarius esset, ætate corporis et animi vigore præpollens, relicta Sardinia, omnique gloria mundi deposita, pauper et humilis ingressus est Claram-Vallem: ubi jam annum quinquies quinum peragens, in disciplina suscepti Ordinis assidue militat, et expectat donec veniat immutatio ejus. Qui cum tanta pro Christi amore reliquerit, nihil omnino se reputat amisisse; quin potius gratulatur, et magis lacri existimat pro cœlesti terrenum abjecisse.

VI. — *De reditu sancti Bernardi ex Urbe ad suos.*

13. Isdem quoque venerabilis Abbas cum aliquando per annos tres moratus fuisset in urbe Roma, atque in partibus Italicis pro sedando schismate Petri Leonis, in quo videlicet opere eundem famulum suum Christus magnifice honestavit; tandem reversus Claram-Vallem, statim post factam orationem capitulum fratrum introivit: et quia fatigatus ex itinere, diu loqui non poterat; brevem quidem sermonem, sed plenum consolatione protulit eis, dicens: « Benedictus Deus, qui vos mihi reddidit, et me vobis (138), » etc. Hæc autem signavit nobis dominus Girardus quondam abbas Longi-Pontis, qui unus ex antiquis senioribus Claræ-Vallensibus, dicta ejus, et facta studiose rimari satagebat.

14. Ipso quoque referente audivimus, quod ille Dei Sanctus dum in quodam monachorum capitulo verbum Domini prædicaret, duo ex fratribus illis qui aderant, viderunt cum cum subsellio, in quo residebat, in aere suspensum, et quasi mensura unius pedis a terra sublevatum. Hic ergo venerabilis Pater, cum es-et aliquando in itinere, haud longe a castro Pruviniensi, revelatum est ei divinitus, quemdam de filiis suis Claræ-Vallensibus tunc migrasse. Statimque de vehiculo descendens, fecit obsequium pro defuncto, commendans animam ejus Deo. Cumque vespere divertisset ad oppidum, quod Cantamerula nominatur, domina ipsius loci, quæ illum in hospitio suo devote susceperat, obtulit ei filiam suam quartano incommodo jamdiu laborantem, ut ei benedicendo manum imponeret, et bene haberet. Ipse vero benedicens eam atque consignans ait: « Adhuc unam accessionem passura es, filia, et liberaberis. »

Atque ita contigit ei. Alia autem vice cum idem vir beatissimus de Laviniaco [fort. Latiniaco], nobili villa in episcopatu Meldis posita, egrederetur, oblata est ei grandiuscula puella quædam surda et muta. Quam cum imposuissent super colium jumentum sui, respiciens in cœlum breviter oravit. Cumque saliva sua linisset labia ejus atque auriculas, benedixit illam, præcipiens ut vocaret sanctam Mariam. Mox ergo puella, quæ nunquam fuerat locuta, aperiens os suum clamavit, et dixit: « Sancta Maria. » Rogatus ergo quidam, vir religiosus et monachus Claræ-Vallensis, cum adhuc esset in sæculo, videns miraculum istud factum in oculis suis, compunctus est

(138) Ut supra, Vita I, lib. VII, cap. 11.

valde; et hæc erat, ut nobis asseruit, maxima causa, pro qua seipsum reddidit in Claram-Vallem.

1231 VII. — *De Fastrado abbate Claræ-Vallensi tertio.*

15. Venerabilis ac piæ memoriæ Fastradus (139), quondam Cistercii abbas, vir ximixæ sanctitatis; nobilis quidem genere, sed morum elegantia nobilior fuit. Qui liberalibus studiis non mediocriter initiatus, sacris tamen Litteris ardentiori desiderio semper inhæsit; ita ut postmodum cum sapientia et ætate proficeret, eas præ oculis et manibus incessanter haberet, et ne ad mensam quidem sine lectione divina discumbere vellet. Quod non modo faciebat in propria domo, verum etiam in scholis peregrinando. Hic dum esset abbas Camberonensis,

decedente piæ memoriæ domno Roberto, qui beato Bernardo successerat, electus est ad regimen Claræ-Vallis. Ad quam tamen electionem venire dissimulavit, quamvis ex nomine vocaretur; timens utique ne hoc illi accideret, quod semper accidere verebatur. Verumtamen antequam Legati Claræ-Vallenses ad eum requirendum pervenire potuissent garula fama prævolante cognovit, quia in ejus personam omnes unanimiter convenissent. Hoc itaque rumore turbatus et anxius, fugam arripuit; veniensque ad domum Vallis-Sancti-Petri, quod est monasterium Ordinis Carthusiensis, per dies aliquot ibidem latitavit: ubi cum die noctuque in oratione persisteret, factus est in mentis excessu; et ecce apparuit in magna gloria Virgo puerpera, domina Angelorum, portans in manibus Regem gloriæ, parvulum suum Jesum. Quam cum ille vidisset, proci-dit ad pedes ejus, obsecrans ut sui miseretur. Cui Beata respondit: « Quid turbaris, o homo? » Et imponens ei in ulnas suas, velut alteri Simeoni, nobilem illam sarcinam quam gestabat, ait: « Accipe Filium meum, et serva mihi illum. » Quo facto, sublata est visio ab oculis ejus: et rediens ad seipsum, intellexit quoniam a Domino egressus est sermo, et quia vere filii Dei, et membra Christi essent qui ejus providentiæ committebantur. Hæc igitur tam læta visione præmonitus, jam non est ausus ultra recalcitrare, ne videretur ordinationi Dei velle resistere.

16. Suscepto autem præfato regimine, quam sollicitum, quam discretum, quamque benignissimum pastorem exhibuerit se, non est meæ simplicitatis exponere. Nam quemadmodum alios præcellebat officio dignitatis, ita etiam præcedebat religionis exemplo, et merito sanctitatis. Castus, pius, et humilis, mansuetus atque modestus super omnes quos in diebus ejus vidisse memini. Parcimoniam vero, ait ille Severus de beato Martino, non est necesse in eo laudare, cum adhuc in sæculo positus ita frugaliter vixerit, ut non jam scholasticus, sed monachus

(139) Insignem ejus epistolam habes inter Bernardinas, modo numero 478, ubi appellatur Fastradus. Roberto Claræ-Vallensi post Bernardum abbati successit anno 1157: mortuus anno 1163.

putaretur. Nam sicut ipse quibusdam intimis suis secrete innotuit, biennio ante conversionem suam, licet ætate nondum adultus, ita abstinentiæ operam dedit, ut nunquam voluerit saltem pane et aqua saturari. Carnium autem edulium, quamvis in ipso tempore ad mortem pene ægrôtasset, nunquam sumere acquievit. Jam vero monachus factus, quam sobrie vivendo, imo quam rigide abstinendo corpus in servitute redegerit, supersedeo dicere; quia, ut verum fatear, vehementior fuit in hac parte. Satis etenim illum super hujusmodi novi atque notavi; quippe qui pluribus annis eidem in sua mensa ministravi. Nam cum in seipso vitia carnis sine miseratione persequeretur, ipsi quoque miseriæ carni, cui naturaliter insitus erat, minus quam oporteat, compati videbatur.

17. Cæterum in exteriori habitu et cultu, pro officii dignitate, quam humilis et quam temperans exsistit, hoc uno quod dicturus sum, facile advertere erit. Quadam siquidem die cum vestiarius monachus in lectulo ejus cucullam nescio an tunicam, qua ipsum indui vellet, solito meliusculam apposuisset increpavit eum, audiente me, pater, et dixit: « Quid est, dilecte mi frater, quod facere cupis, ut a communcione fratrum nostrorum me separet, et notabili habitu decolores? Ecce qui mollioribus 1232 vestiuntur in domibus regum sunt. An quia abbatis nomine censeor, propterea monachus esse non debeo? Nunquid idcirco constitutus sum minister et servus aliorum, ut lautioribus epulis debeam saginari, et cultioribus ornari? Si ergo me diligis, si pacem meam quæris, si præceptis meis obedire non despicias, precor atque præcipio ne id amplius facere velis. Nam cum ego sim apud Deum indignus, et omnium minimus, magnum est mihi si communi omnium victu atque vestitu fuero honoratus. Ex quo enim assumptus sum ad regimen animarum, hoc unum est quod præ cæteris timui semper, et timeo; ne occasione hujus administrationis, pauperem vitam, quam professus sum, deseram, et monachi præmium perdam. » Hic itaque delectus a Deo et hominibus, et charismatum donis principaliter adornatus, non solum verbo et exemplo proficiebat, verum etiam gratissima corporis habitudine, mira devotione intuentes afficiebat. Tanta siquidem Spiritus paraclæti gratia in ipsius vultu angelico radiabat, ut vix posset fidelium aliquis desiderabili ejus aspectu satiari præsertim qui puritatem animi ejus et singularem mansuetudinem cogitabant, quam in exteriori homine, velut in proprio sigillo, divina manu impressam cernebant. Qui videlicet vir venerandus, cum jam factus esset Cisterciensis cœnobii ac totius Ordinis Pater universalis (140), magnum in eo, ut credimus, fructum fecisset, nisi peccatis nostris exigentibus tam cito subtractus fuisset. Sed

(140) Vide supra, lib. VII, cap. 20.

quia ejus sanctissima vita diutius frui digni non fuimus præcisa est velut a texente, dum adhuc ordiretur. Verumtamen ipse consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima ejus, et angelico consortio digna.

18. De cujus felici transitu mox futuro, beatæ memoriæ Petro Tolosano, de quo superius multa retulimus, facta est hujusmodi revelatio. Videbat in visu noctis: et esse in nubibus cœli Filius Dei, sanctorum frequentia comitante, de cœlo adveniens, et in ipso aere consistens, in throno gloriæ residebat, et splendor ex eo procedens mundum illuminabat. Porro ad dexteram majestatis illius monumentum quoddam gloriosissimum in aere suspensum apparebat, quod miro opere fabricatum intuentium oculos admodum delectabat. At vero ante fores basilicæ Claræ-Vallis multitudo promiscui sexus innumerabilis assistebant, qui sursum erectis vultibus regem gloriæ Dominum nostrum Jesum Christum, ipsumque mausoleum intente respiciebant. Præfatus autem monachus Petrus accedens ad eandem turmam, de sepulero illo quod coram Domino apparebat, cœpit interrogare quid esset, aut quid signaret. Tunc unus ex eis respondit ei taliter, dicens: « Sepulcrum istud, de quo sciscitaris, constat esse sanctissimi ejusdem viri de terra proxime assumendi: de cujus recessione magna in partibus istis longe lateque desolatio erit; cujus etiam mors futura est in conspectu Domini pretiosa, et in conspectu hominum præclara. » Evolutis postea viginti circiter diebus, cum dictus sanctus abbas Parisius pro negotiis monasterii ac totius Ordinis sui, domino papæ Alexandro assisteret, correptus ægritudine lecto decubuit, et infra diem quintum sancto fine quievit. Tandem apud Cistercium corpus ejus cum ingenti honore reductum magna devotione conditum est. Ferunt in regione Angliæ quemdam religiosum, magnæque virtutis virum existere, qui in ipsa die qua beatus Bernardus abbas in Clara-Valle de mundo migravit, cum esset in Anglia, vidit in spiritu maximum quemdam angelum de cœlo transmissum, maximam nihilominus animam quamdam de terra assumentem, et eam cum ingenti gaudio secum ad astra deducentem. Postmodum autem cum ipse beatus Fastradus abbas exiret a corpore, eadem die vidit ille qui supra, supradictum angelum ad terram venientem, assumptamque ex ea quamdam animam ad cœli fastigia sublevantem: quæ quamvis maxima videretur, prioris tamen animæ magnitudinem non æquiparabatur (141).

(141) In omnibus S. Bernardi miraculorum libris nulla uspiam mentio de miraculo illo lacte, a beatissima Virgine in Bernardum expresso: quod tamen miraculum præ aliis certissimis a pictoribus et ab incautis sancti Doctoris devotis nunc venditari cernimus.

ADMONITIO

IN RELIQUOS SCRIPTORES VITÆ S. BERNARDI.

1233-1234 I. Superioribus libris visum est mantissæ loco adjicere auctores subsequentes, qui de gestis sancti Bernardi scripserunt. Primus est Alanus, ex abbate Aripatorii episcopus Autissiodorensis ab anno 1153 ad 1161: quo anno ad Claram-Vallem denuo se recepit, ibidem mortuus anno 1181. Is ex quinque prioribus libris præmissis continuam rerum a Bernardo gestarum seriem contexit, adhibitis propriis auctorum verbis, quos ad temporum ordinem utcumque reduxit. Nam ubi Gaufridus in lib. III, cap. 4, infelicem expeditionis Jerosolymitanæ exitum præponit synodo Senonensi contra Abælardum habitæ, quæ decem annis præcessit: Alanus contra expeditioni synodum præponit. Item idem Gaufridus in ejusdem libri I, cap. 6, Gilberti Porretani confutationem in concilio Remensi factam refert ante Bernardi prædicationem contra Henricum hæreticum; et post ea omnia Bernardi ex Urbe reditum lib. IV, cap. 1. Hæc autem omnia recto ordine describuntur ab Alano, qui etiam sancti Doctoris testamentum, ab aliis scriptoribus omissum, primus commemorat. Sane Gaufridus ipse in Præfatione libri tertii fatetur, in sua narratione «coherentiam magis similitudinis rerum gestarum, quam temporis observari.» Quin etiam ex eodem Alano Gaufridi Carnotensis episcopi vulgatum annorum calculum emendare licet. Cum enim is Alberico cardinali Ostiensi episcopo et legato, in Tholosanas partes adversus Henricum hæreticum, «diebus,» inquit, Alanus, «Eugenii exortum,» et quidem anno 1147 proficiscenti, una cum Bernardo comes Gaufridus adhæsisse dicatur; extrema Gaufridi vitæ periodus non quidem ad annum 1138, ut præfert Gallia Christiana, referenda est, sed post annum 1147 differenda, id est, in annum sequentem: tum quia Gaufridus legationis munere, quod Innocentius papa II post annum 1131 ipsi commisit, functus est per quindecim annos, ex Actis episcoporum Carnutensium editis Analectorum tomo II; tum quia Goslenus, ejus nepos et in sede Carnutensi successor, in litteris monasterio Josaphatensi anno 1151 concessis, annum sui episcopatus tertium dicit. Quid in reliquis Alanus præstiterit, docet ejus Præfatio ad Pontium Claræ-Vallensem abbatem quintum: qui anno 1158 Gaufrido successit; post annos quatuor ad sedem Claromontensem promotus. Ac proinde ad annum circiter 1170 revocanda hæc Alani scriptio, de quo vide plura in notis ad epistolam 280.

II. Secundus auctor, qui Alanum proxime subsequitur, ab erudito Petro Francisco Chiffletio Parisiis editus anno 1679 inter quatuor Opuscula, videtur ipsi esse Gaufridus, ille, cujus tres posteriores de S. Bernardi Vita libros cum parte altera Miraculorum superius retulimus. Nec levis de auctore conjectura. Is quippe in cap. 6 testatur, se «in corpore» Bernardi «epistolarum primam eam» constituisse, quæ ad Robertum scripta est, ob miraculum, quod «ab ipsius ore, qui scripsit eam in pluvia sine pluvia,» acceperat: quod quidem videtur fuisse notarii officium, quo Gaufridus fungebatur. Idem auctor de se addit cap. 9, conversionem suam contigisse ex sermone quem in scholis Parisiensibus Vir sanctus habuit. Id si Gaufrido aptari potest, Sermo ille de Conversione ad clericos, qui inter Opuscula tomo secundo habetur, anno 1140 assignandus est: siquidem Gaufridus ipso anno ad conversionem venit, nempe anno tertio decimo ante Bernardi obitum, ut ipse in Præfatione ad librum tertium de Vita ejus testatur. Certe eodem fere modo loquitur Gaufridus tum in Præfatione ad librum tertium, tum in Sermone de S. Bernardo, ubi de sua ipsius conversione, atque auctor in Vita sequentis cap. 6. Porro ex hoc auctore tantum Excerpta quædam retulit Chiffletius, quod cætera cum aliis auctoribus convenirent, et quidem de verbo cum ea parte libri sexti miraculorum, quæ ipsum Gaufridum habet auctorem. Hæc porro censet vir doctus quædam collectanea fuisse de vita et rebus gestis Bernardi, ac veluti materiam scribendæ ejus historiæ præparatam: cujus historiæ primum et secundum librum eum «abhorrent duo viri eruditi et graves, Guillelmus et Ernaldus; noluerit Gaufridus pios eorum labores opere suo obscurare: sed intactis quæ illi tractaverant, reliquam sancti Bernardi vitam tribus libris prosecutus sit, ad priores duos adnectendis. Hæc sane verisimilia.

III. Excerptis Gaufridi (sic eum postmodum appellabimus) succedent libri duo Joannis Eremitæ de Vita itidem sancti Bernardi, sed imperfecti: quos Chiffletius mox laudatus vulgavit eo in Opusculo, quod Diatribæ de illustri S. Bernardi genere præmisit. Joannes ex nomine Eremita dictus videtur, non ex vitæ professione. Nec fortasse monachus fuit, sed «apud quosdam discipulorum ejus,» scilicet Bernardi, «olim assiduus, adhuc puer,» ut de se ipse testatur in Præfatione secunda ad Herbertum Turritanum in Sardinia episcopum: nam prima ad Petrum Tusculanum episcopum scripta est. Ex hac duplici præfatione tempus, quo Petrus hos libros scribebat, colligi potest. Herbertus quippe libros suos scribebat anno 1178: quo anno Petrus ab Alexandro III creatus est cardinalis episcopus Tusculanus. Adde quæ habet Joannes de Roberto abbate, Bernardi consanguineo, «qui magis,» inquit lib. I, num. 5, «quam sexaginta septem annis in monasterio sub jugo disciplinæ regularis vixit.» Ergo post annum 1180 scribebat Joannes, cum Robertus non ante annum 1113 Bernardo se adjunxerit, ante oblatum in monasterio Cluniacensi.

SECUNDA VITA

SANCTI BERNARDI ABBATIS

AUCTORE SEU COMPILATORE ALANO

QUONDAM EPISCOPO AUTISSIODORENSI.

1235 PROLOGUS AUCTORIS.

Venerando Patri PONTIO, Dei providentia Claræ-Vallis abbati, frater ALANUS Autissiodorensis ecclesiæ humilis quondam sacerdos, æternam in Christo salutem.

Vitæ beatæ recordationis Bernardi Claræ-Vallis abbatis, virtutibus et miraculis tam admirandæ quam imitandæ, plures in describendo exstiterunt auctores, sumpta nimirum materia, quæ se copiosa inquirentibus offerebat. Quod autem nos ex eadem narratione nonnulla omittentes, et apponentes per pauca, breviori perstringimus schedula; non tam præsumptio, quam, ut credimus, ratio persuasit. Primo quod scriptorum, tametsi vera sint, prolixitas onerosa solet esse legentibus. Deinde quod Godofridus, venerabilis Lingonicæ sedis antistes, ejusdem patris Bernardi secundum carnem propinquus, secundum spiritum in conversione socius et in laboribus coadjutor, quædam in pagina, quam breviam suscepimus, minus veritati consona denotabat, utpote qui ab infantia dum Sancto illo nutritus, visa melius, quam alius narrata didicerat. Morte vero idem venerabilis sacerdos præventus, quod inde cæperat et optaverat, imperfectum reliquit. Sed et in serie ipsa descriptionis multiplex sensuum recapitulatio est, dum plures eadem sæpe dixerunt, etsi aliquando dissimilibus verbis. Nec non etiam, si quis diligenter advertat, ibidem quædam aspera inserta reperiuntur, verbi gratia contra ecclesiasticæ et sæcularis potestatis authenticas sublimesque personas. Absit autem ut quidquam asperum vel amarum Oliva illa, suavitatem in domo Domini fructificans, erga quempiam reddat! cujus studii semper fuit, dum vixit in sæculo, omnes homines mansuetudinis suæ oleo demulcere. Sane narrationis nostræ veritas non incertam apud nos obtinet firmitatem, cum etiam plura ex his quæ vel ex ejus ore sacratissimo, vel fideli religiosorum relatu comperta cognovimus, sicut et miraculorum multitudinem scienter prætereuntes, studio brevitatis duximus sequestranda. Si igitur puritatis vestræ examini nostra placuerit abbreviatio, subtractis vel apposis aut emendatis quæ vestræ visa fuerint Sanctitati, cum Dei beneplacito, vestroque favore, ni fallimur, sine offendiculo poterit transcribenda exponi. Sin autem; nostræ humilitatis est, idem

opusculum penes nos potius occultare quam prodere, ne minime profutura timere velle pandere videamur.

CAPUT PRIMUM.

De parentibus, pueritia et moribus sancti Bernardi.

1. Bernardus Burgundiæ partibus. Fontanis oppido patris sui oriundus fuit, parentibus claris secundum sæculi dignitatem, sed dignioribus ac nobilioribus secundum christianæ religionis pietatem. Pater ejus Tescelinus, vir antiquæ et legitimæ militiæ fuit, cultor Dei, justitiæ tenax. Evangelicam namque, secundum instituta Præcursoris Domini, militiam agens, neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, contentus stipendiis suis (*Luc*, III, 14), quibus ad omne opus bonum abundabat. Sic consilio et armis serviebat temporalibus dominis suis, ut etiam Domino Deo suo non negligeret reddere quod debebat. Mater ejus Alaidis ex castro cui **1236** nomen Mons-Barrus, et ipsa in ordine suo apostolicam regulam tenens, subdita viro (*Ephes*. v, 22), sub eo secundum timorem Dei domum suam regebat, operibus misericordiæ insistens, filios enutrens in omni disciplina. Septem quippe liberos genuit, non tam viro suo quam Deo; sex mares, feminam unam; mares omnes monachos futuros, feminam sanctimoniam. Deo namque, ut dictum est, non sæculo generans, singulos mox ut partu ediderat, ipsa manibus propriis Domino offerebat. Propter quod etiam alienis uberibus nutriendos committere illustris femina refugiebat, quasi cum lacte materno materni quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem crevissent aliquandiu sub manu ejus, eremo magis quam curiæ nutriebat, non patiens delicatioribus assuescere cibis, sed grossioribus et communibus pascens; et sic eos præparans et instituens Domino aspirante, quasi continuo ad Dei servitium transmittendos.

2. Hæc cum in ordine filiorum tertium Bernardum haberet in utero, somnium vidit præsagium futurorum, catellum scilicet totum candidum, in dorso snbrufum, et latrantem, in utero se habere. Super quo territa vehementer, cum religiosum quemdam virum consulisset, continuo ille spiritum prophetiæ concipiens, quo David de sanctis prædicatoribus Domino dicit, *Lingua canum tuorum ex inimicis* (*Psal*. LXXVI, 24), trepidanti et anxie re-